

Dissert. 45:1111

zsh

ULB Düsseldorf



+1292 939 01



D

S

A

LIBR. L.

P. P.

ORD.

SS. THEO

IN CO

D

J.

DISSERTATIO PROEMIALIS
EXHIBENS
SYLLOGEN

JURIS ECCLESIASTICI
ANTIQUI MEDII ET NOVISSIMI
SECUNDUM EPOCHAS SUAS

QUAM
UNA CUM PARERGIS
EX
LIBR. I. ET II. DECRETALIIUM AC JURE PUBLICO
PRAESIDE

P. PHILIPPO HEDDERICH
ORDIN. MINOR. CONVENTUALIUM SS. CANONUM LECTORE
ET AD S. NICOLAUM CONFESSARIO

EXPONENT
PP. CLEMENTINUS REINECKEN

ET
ELIAS VAN DER SCHUREN

OPPONENT
PP. ALBINUS MEISTER

ET
LIBERATUS LUTZELER

SS. THEOLOGIAE EMERITI ATQUE SS. CANONUM IN ANNUM PRIMUM
AUDITORES, EJUSDEM ORDINIS.
IN CONVENTU NOSTRO TREVIRENSI AD S. GERMANUM
DIE MENSIS SEPTEMBRIS AN. MDCCLXXII.

D E O

PATRONIS ET AMICIS.

PROLOQUIUM

Ad Lectorem.

En! tibi exhibeo primum, obedientiâ jubente,
 muneris in me suscepti partum: Materiem
 pertractavi, primos SACRI JURIS limi-
 tes ingressuris obviam & apprimè utilem: an exquisi-
 tè satis, disquiras ipse; Cum id Viri sit, non pri-
 mum in annum antecedentis, sed ejus, qui sæpe
 sæpius SACROS perscrutando CANO-
 NES eorumque GENUINOS FON-
 TES venerandam promerui Senii Canitiem. Si
 quid igitur minùs recte disseruerim, primos hosce
 labores esse cogita, atque me primum Semper
 fore, ut Janiora sentiam, ubi ea progressu tem-
 poris edoctus fuero. Conatum interim meum ut
 probes saltim, rogo. Vale



CIS.

SYLLOGE
JURIS ECCLESIASTICI
ANTIQUI, MEDII & NOVISSIMI
SECUNDUM EPOCHAS SUAS.

JURIS ECCLESIASTICI
EPOCHAE I.
JUS ANTIQUUM.

Num. I. **C**onditor princeps SS. CANONUM * est Rex
pacificus CHRISTUS **, qui disposuit sub-
ditos sibi fore pudicos *** atque regulas nobis reliquit, docen-
tes, quomodo oporteat nos conversari in domo Dei, seu Ec-
clesia. ****

* Mirro alias hujus Vocubuli acceptiones utpote huc impertinentes:
intelligo regulam, quæ fidem morésque fidelium dirigat. Conf.
CALV. Lex. Jur. DUR. DE MAILLAN. Diction. ad hanc Vocem: Canon.

** Jus igitur *Canonicum* ex prima sua origine verò ac propriè divi-
num est, quanquam & aliis de causis *divinum* audiatur e. g. per op-
positionem ad Jus Civile C. I. D. 10. c. 1. de juram. calum. nov. 137.
in præf. & propter inspirationem Divinam. c. 6. D. 8. c. 14. D. 45.

*** Vid. præf. Decretal. Greg. IX.

**** 1. Tim. 3.

II. Apostolos quoque quâ Pastores Ecclesiæ constitutos condidisse CANONES palam est *; noti sunt passim CANONES APOSTOLORUM nuncupati **.

* Vel ex solo Concilio Solymis congregato, quod verum fuisse Concilium contra *Sigwart. Theol. Tübingens.* ostendit SCHILTERUS *Tit. 1. de Orig. J. conf. act. apost. & eorum epistolas.*

** De numero eorum & *Authentia* non una omnium est opinio. Equidem epistola decretal. ZEPHYRINI sub Sæc. II. ad Epp. Sicil. ait: *Apostoli septuaginta Sententias præscripserunt cum aliis Episcopis, & servandas censuerunt*; sed eam esse è putridis PSEUDO-ISIDORI meribus, compertum est eruditis. Id satis convenit, Sæc. V. exeunte 50 Codici DIONYSIANO fuisse insertos, atque totidem ab Ecclesia græca, mox etiam à Latina fuisse adoptatos. VAN ESPEN *Schol. in can. ap. conf. c. 1. 2. 3. 4. D. 16. . . .* Eos ut genuinum Apostolorum partum agnovère post synodum *Trull.* græci ferè omnes, quos post plures quoque Latinorum secutus TURRIANUS S. J. strenuus aliàs eorum Vindex: imo de iis in *Institut. Christiana Concil. prov. Colon. sub HERMANNO Achi Ep. f. CXCII.* ità lego: *itidem Canones Apostolici, quos CLEMENS Petri successor recollectos nobis reliquit, quos & Justinianus Imp. in Constitutionibus suis novellis expressis Verbis Apostolis tribuit, quos item ultra longævam & constantem in Ecclesia opinionem sancta etiam sexta synodus (a) cum in controversiam denuo vocarentur, gravissimâ sententia agnovit. . . .* Verùm unanimi Criticorum calculo fati canones quâ pseud-epigraphi hodiernum notantur . . . *Sunt tamen antiquissimi, ait ALBASPINEUS, & cum eo BEVEREGIUS, multaque in illis excellentissima & magni ponderis continentur. Quodsi S. Joan. Damasc. eos inter libros divinos reputarit, meritò à BARONIO ad an. 102. n. IX. corrigitur.*

(a) Quæ est Synodus ista? an *Constantinopolitana 3tia*? neque in hac neque in hujus nominis *secunda* conditi sunt Canones ad disciplinam ecclesiasticam pertinentes . . . erit igitur TRULLANA Constantinopoli in TRULLO palatii (seu in aula ab opere arcuato sic nominata. Vid. DU CANGE *Glossar. Verb. Trullum*) congregata; hæc Canone

Canone 2do admittendos decrevit 85. Canones Apostolorum: Verum Canonem istum singulariter approbatum non esse docet ZACCH præcogn. Jur. neque ullum obtinere robur synodum istam utpote acephalam tradit ex aliis Auth. Annot. Barthel. f. VII. conf. Can. 7. 6. 7. D. 16.

III. Circumferuntur etiam CLEMENTIS I. * CONSTITUTIONES ** & variæ DECRETALES EPISTOLÆ RR. PP. ab EO ad SIRICIUM usque ***

* An hic primus fuerit post Petrum, an tertius, desuper *dubium fuisse, esse & mansurum*, non ita pridem solide ostendit Consultissimus NELLERUS contra BARONIUM. Chronologia RR. PP. priorum sæculorum capita pertractarunt HENSCHENIUS, PEARSONIUS, DODWELLUS, PAPEBROCHIUS, PAGIUS uterque, TILLEMONTIUS, CONSTANT, & alii inter se dissidentes: prorsus ut mirari magis, adeò discrepare inter Authores, quàm, quid veri sit, discernere queas. Hi autem BASNAGIO ad an. Dom. 65. §. 24. *Videntur, ut ajunt, in pertusum dolium aquam ingereve, cum nulla monumenta satis certa suppetant, quibus instruanur in notitia temporis, quo & supremum diem decessor obiit, & successor ad episcopatum promotus est. In veris habemus PETAVII dictum: Pontificum singillatim tempora perscrutari plus molestiæ quàm utilitatis habet, haberet tamen, nisi documenta nobis deficerent.*

** Hæ eidem, cui Canones apostolorum, subsunt Criterio; *quæ sub ejus (CLEMENTIS) nomine circumferuntur scripta, omnia supposititia sunt præter Ep. unam ad Corinthios, ait SANDINUS in Vita PP. ad Clem. 1. nihil certi habemus de scriptis CLEMENTIS, ait FLEURY hist. Eccl. L. II. §. 42. in fin. . . . Et sanè quinque ejusdem Decretales epistolas, vel ex sola inscriptione, stylo CLEMENTI insolito, materiis etsi antiquatis, primis tamen sæculis omnino incognitis, falsitatis arguit post LABBÆUM ESPENIUS Dissert. 1. de Collect. Isid. quod non leve ex arte Critica argumentum est.*

*** Adscribuntur post CLEMENTEM Anacleto (a) tres, EVARISTO duæ, ALEXANDRO tres, SIXTO I. duæ, TELESPHORO una, HYGINO duæ,

PIO I. duæ (b) ANICETO una, SOTERI duæ, ELEUTHERIO una, VICTORI duæ (c) ZEPHYRINO duæ (d) CALISTO I duæ, URBANO I. una, PONTIANO duæ, ANTERO una, FABIANO tres, Cornelio duæ (e) LUCIO una, STEPHANO I. duæ, SIXTO II. duæ, DIONYSIO duæ, FELICI I. tres, EUTYCHIANO duæ, CAJO una, MARCELLINO duæ, MARCELLO duæ, EUSEBIO tres, (f) MELCHIADI duæ.

Hæ sunt illæ Decretales epistolæ, super quibus adeò lamentantur Protestantes, nonnulli etiam Orthodoxi, quia iis novam omnino in ecclesiam Christi disciplinam fuisse introductam, atque summi Pontificis potestatem non parum auctam credunt... Equidem plurimis sæculis ut genuinæ fuerunt agnitæ, at tempore Conc. Basiliensis NICOL. CUSAN. *de Concord. L. 2. 34. & L. 3. C. 2.* quasdam in dubium vocavit, & dein Sæc. XVI. singulæ examinari rigidiùs, & ad incudem redigi cæptæ, atque tandem ferè ab omnibus eruditis jure merito uno quasi ad sensu rejiciuntur, adeò, ut vix ullus sit hodie, nisi Thesista in Critica minùs celebris, qui earum Authentiam propugnet.

- a) Fabricator harum Decretalium neque LINO, veritus, ne fortè obiisset ante S. Petrum, neque CLETO, utpote quem ab ANACLETO plures non distinguunt, decretales affingere ausus est Memoratu tamen dignum est, quod de CLETO refert Ludov. Jacob. à S. Carolo L. 1. *Bibliot. Pontif. p. 58.* S. CLETUS scripsisse fertur Epistolas, in quibus omnium primus usus est Verbis illis: salutem & Apostolicam Benedictionem: ità ab omnibus Authoribus affirmatur, sed an extant, neque in CC. generalibus, neque in Epp. Pontificiis reperire potui. Ceterùm de hac forma conf. MABILONIUM *de re Diplom. L. 6. p. 436.* PAPEBROCHIIUM *in Conat. Chron. hist. ad S. CLETUM p. 89.*
- b) Insuper binas alias ejus epistolas ad Justum Episcopum Viennensem suis annalibus inseruit BARONIUS ad an. 116. quas, ait, germanas esse atque legitimas, cum rerum argumentum, & admirabilis quedam cum aliis horum temporum gestis contesseratio, tum simplicissimus ille antiquitatis Candor facillè persuadent. Verùm in iis plura reperiri quæ ætati PII I. non congruant, puta: Vocem *Missa*, *Colobium* &c. (quod sit specialis habitus episcoporum, CALVIN. ad hanc Vocem) notant doctiores Critici, quæ & accedit barbarus utriusque stylus, & omnimodum apud Antiquos silentium.

- c) Duas quoque alias sub ejus nomine exhibuit Bibliotheca Floriacensis, unam *Desiderio Viennensi Episc.* inscriptam, utramque de celebratione paschæ die dominico facienda agentem: Verùm nec majoris cum aliis Authenticiæ fore notant LABBÆUS & ESPENIUS *l. cit.*
- d) Vid. sup. n. II.
- e) Tertiæ è Biblioth. cit. exhibitæ meminit BARONIUS, at hanc eadem ferè causæ supposititiâ faciunt . . . sed extant aliæ CORNELII epistolæ ad S. Cyprianum duæ, ad Fabianum Ep. Antioch. una, quarum fides à nemine in dubium vocatur: ad quarum primam notat LABBÆUS *Col. 683. hæc & sequens epistola docent, quid dissentent æva lupinis & suberata merces aureis Veterum scriptis.*
- f) Notoriè falsum est, quod tertia ejus epistola (cujus fragmentum relatum *C. 19. D. 3. de Consecr.*) episcopis Tusciæ & Campaniæ inscripta de inventione S. Crucis, ejusque celebrando festo memorat: non enim sub *Eusebio*, sed *Sylvestro* an. 326. Crucem Dni fuisse adinventam notant hodie post plures GRETSEUS *L. I. de Cruce Dom. c. 62.* SANDINUS *bist. famil. sacrae de Christo Dom. c. 15.*

Additio I. Non eodem spiritu Protestantes cum Catholicis hasce decretales fraude & imposturâ notant; illi inde Pontificis Romani PRIMATUM suo è Cardine submorum esse volunt: sed ad robur validæ imaginationis id ipsum pertinet: illis enim non indigere sanctam romanam ecclesiam (ad primatum jurisdictionis stabiliendum) rectissimè affirmat BARONIUS *ad an. 530. §. 5. & ad an. 865. §. 8.* Et Verè PRIMATUS iste finè iis factus tectusque manet, utpote Divinis Christi effatis firmiter omnino stabilitus, quemadmodum tot scripta, tot dissertationes desuper emanatæ solidissimè evincunt. Neque aliam GALLORUM Canonistarum opinionem esse, in aprico est ex iis, quæ HERICOURT *Loix Ecclesiastique Chap. IV. f. 44. docet: Saint Pierre a été établi le Chef du College Apostolique avec une plénitude de pouvoir & de jurisdiction supérieure à celle des autres apôtres.* Et infra " *l'Eglise a toujours regardé les évêques de cette Ville (ROMAINE) comme les successeurs de la dignité de Saint Pierre pour sa qualité de Chef de l'Eglise, & l'Eglise ROMAINE comme le centre de l'unité Ecclesiastique. . . .* Et DURAND DE MAILLANE *Diction. de Droit Canon. T. II. f. 400. ibi ,, il n'y a point de Catholique, qui ne reconnoisse & qui ne revere dans le PAPE une primauté réelle de droit divin,*

non seulement d'HONNEUR & de PRESEANCE, mais encore d'AUTORITE & de JURISDICTION canonique sur tous les Evêques & sur les Conciles particulieres. C'est ce, qui a été decide en l'Assemblée de la faculté de Théologie contre LUTHER en 1542. art. 3. quid clarius?

Additio 2. Sed non idem de Juribus secundariis (veluti sunt: *constitutio, confirmatio, consecratio, translatio, resignatio, depositio Episcoporum, Erectio, translatio, unio, dismembratio Episcopatum, sanctorum Canonizatio, Approbatio Religiosorum Ordinum, appellatio ad summum Pontificem* *) atque de iis, quæ inter Scholarum Doctores insigniter disputantur (uti *infallibilitas extra Concilium ** superioritas respectu Concilii ****) *judicium Jure Periti* hodiernum ferunt. Sed in his *posteriores* certa ab incertis, ea, quæ sunt fidei ab opinionibus Scholasticis discernenda sunt, *quam multæ* enim, inquit præclarus polemicus Neumayr in quæst. *utrum Romano Episcopo triplex Corona &c. apte conveniat* p. 12. edit. Monac. 1755. *quàm multæ vitilitigationes & inuiles tricæ cessarent, si fidei ac Scholarum doctrinas exactius disjungerent, nec unam cum altera commiserent; neque ea, quæ de fide certa non sunt, ut talia venditarent* . . . Circumspectè tamen desuper pronuntiandum, ne latissima pandatur Via fidei & disciplinæ ecclesiasticæ penitus enervandæ: quâ in re plurimum præstitit ætate nostra novissimè P. Luidl Ord. Min. scriptor Theologus in suis *Institutionibus Theol. Mor. Christianæ & Evangelicæ part II. Diss. IV. & V. de an. 1771.* atque inter Canonistas P. SCHMID *Inst. J. T. I. p. 161. seqq.* quos non absque fructu consules. Neque una hic opinio, alterâ verior declamanda est, sunt enim Viri *Clarissimi & Doctissimi* utriusque Opinioni Patroni, quos *Ecclesia universalis* hætenus nunquam redarguit, multo minus igitur id *privati* esse puto. Priora tamen hujus *Primatûs Accessorii* jura non indivulsè adnexa esse Romano Pontifici palam faciunt tanta circa ea vicissitudo, tot, quæ patiebantur, fata, neque eadem ubique Locorum aequalia esse docent ecclesiarum libertates & nationum Concordata.

* De hac Christ. Lupus Dissert. de 8vâ Synodo Generali c. 10. act. 6. p. 385. ita scribit: *APIARIUS Romam appellans egerat contra Vetus-tissimam Ecclesie Africane consuetudinem, causamque dedit multæ inter hanc & Romanam sedem contentions: Africane Ecclesie Clerus inferior Romam appellare non poterat: primus id attentavit APIARIUS;*
hinc

hinc omnis illa cum Zosimo Pontifice & ejus successoribus longa & dura de Romana Appellatione lis, per VI. Carthaginensem synodum memorata, per Bonifacium II. Pontificem & Justinianum Augustum tandem extincta, ac per Marcum Antonium de Dominis ad Primatum Romanum arietandum imperite aut nequiter assumpta. Etenim etiamnum hodie ex Hadriani IV. Pontificis per Innoc. III. roborato indulto, inferior Siciliae Clerus Romam appellare non potest, & tamen non dubitat de Primatu Romano. Et quidem Zosimi de Apiario gratiosum iudicium quasi per interim citra suae consuetudinis injuriam recepit Africana Ecclesia. Hanc igitur ex primæva Christi institutione derivari non aulin asserere, sunt enim Catholici, qui id negarunt & negant, inter quos est Petrus de Marca L. 7. c. 3. neque jus Appellationis sed retractationis tantum famosis Can. 3. & 4. Conc. Sardicensis Romanæ sedi stabilitum esse vult cum cit. Authore Zallweinius Ord. S. Benedicti: dissentientibus interim aliis. Ego consuetudini & observantiæ hic potissimum deferendum esse reor. In Archi-Diœcesi nostra Trevirensi Sæculo XIII. Appellationes ad Curiam Romanam non solum fuere usurpatae, sed & quasi sanctione publicâ Imperiali probatae, scilicet Aurea Bulla Egrensi Friderici II. Imperatoris apud Goldastum Constit. Imp. Tom. I. p. 290. n. 3. quâ statuitur, ut Appellationes in negotiis ecclesiasticis ad sedem Apostolicam liberè fiant; illarum persecutionem sive processum nullus impedire præsumat. Confirmavit id deinde Rudolphus I. teste Raynaldo Annal. Eccles. T. I. ad an. 1275. p. 244. ubi „Rudolphus regio edicto promulgavit, se omnia jura ab aliis Imperatoribus collata corroborasse: sanxisse, ut præsulum electiones summa cum libertate celebrarentur, utque provocari in Causis Ecclesiasticis ad Romanum Pontificem possent. Vid. H. D. T. I. f. 639. Equidem, teste Ilino ab Hontheim H. D. T. Tom. I. in Not. ad Epistolam D. Bernardi 178. ad Innoc. II. Pontificem, pro tuenda Alberonis Archiep. Trev. Metropolitana Autoritate, hoc Sæculo „ Eminentissimus Archi-Episcopus Princeps „ Elector Trevirensis Franciscus Georgius in Dieta Electorali, electionem Aug. Imp. Caroli VII. antecedente, ad Capitulationis Art. „ XIV. moneri fecit, ut Neo-eligendus obligetur ad sua apud Sanctissimum officia sic interponendum, ut Cause Ecclesiasticæ appellationum à Romana Curia impofterum committantur iudicibus

D'AUTORITE
Conciles par-
culde de Théo.

sunt: consti-
tio Episcopo-
, sanctorum
ad summum
s insigniter
espectu Con-
is posteriori.
olasticis se-
us Neumayr
emiat p. 12.
a cessant,
cum altera
itarent . . .
ndatur Via
plurimum
Theologus
rt II. Diss.
T. 1. p. 161.
inio, altera
i utriusque
a redarguit,
is Primatis
lam faciunt
dem ubique
m Concor-



c. 10. act. 6.
ontra Vetus-
ledit multa
clesiæ Clerus
APIARIUS;
hinc

„commissariis in ea Provincia degentibus, in qua quævis enata esset; sed rem istam rationes politicæ impedierunt, quominus tunc suam consequeretur effectum. “ *Ità ibid. H. D. T. f. 536. citans Moseri annot. ad Capit. Caroli VII. Art. XII. §. 3. in f.*

** De ea dubium penes antiquos non reperitur: sententiis igitur superpremissis, sicut oves subditas decet, reverenter assurgamus, neque ea disputemus, quæ antiquitas supposuit: & plerique, qui Pontificis Oraculum repudiârunt, neque Conciliorum neque Ecclesiæ iudicio acquieverunt: qua in re Illustrissimus *Stayerius in Aphor. Theol. pract. Tom. I. Disput. 9. §. 9.* inquit: *ut minimum parendum esse Pontifici quasi per provisionem (utpote cui competit petulantia ingenia, obque indies Concilia convenire nequeunt, coercere,) etiam adversissimi Pontificæ Authoritati profitentur: an semper etiam pareant, alia est quæstio, sed tamen ex ore suo iudicabuntur.*

*** Vexatissima hæc quæstio est: *an Concilium sit supra Pontificem?* neque sensum hujus quæsitæ multi satis clarè ostendunt; si sit de casu schismatis, non repugnamus; Si Papa foret à fide devius, ad stipulamur: Si simoniacè intrusus, utique per Sacros Canones exceptionem patitur: Si verò res devolvatur ad casum Papæ immergeri per Concilium iudicandi & deponendi, non patiemur casu isto summos nostros Imperantes à subditis suis in unum coëuntibus exauthorari: putamus tamen suavi tum commotioni locum esse, atque Deum, qui nobiscum est usque ad consummationem sæculi, non defuturum in tempore opportuno; nullatenus verò hic probandus est nimius illorum Theologorum Zelus, qui suam sententiam constitutione *LEONIS X.* in Conc. Lateran. V. Sess. II. promulgatâ determinatam esse volunt, atque inde Authores sibi refragantes (Viros ac Professores variis Germaniæ ac Galliæ Academiis celebratissimos) Concilio huic, summo Pontifici, atque Ecclesiæ refractarios existere: habent sanè Viri isti, quod ad prætenfam istam in Synodo Lateranensi definitionem respondeant. Conf. erudit. *P. Luidl.* loc. cit. & *Zallwein T. I. Princ. J. E. Q. IV.* ubi inquit: *Patroni sententiæ affirmantis aliquoties in modo excedunt, dum suam opinionem instar dogmatis inconcussi &*

contra-



contrarium sentientes divissimè habent, & hinc inde indiscretis consensibus perstringunt. Sed neque laudandi ii, qui superioritatem Concilii supra Pontificem demonstratam esse, prætendunt, atque in Concilio Constantiensi, indistinctè determinatam: cum neque adversariis in suo armamentario tela desint, queis sibi objecta retundant. Sua igitur utrique opinioni stat probabilitas, quousque certa Ecclesiæ definitio subsécuta non fuerit.

Adversio. 3. Universim de *Usualibus Romano Pontifici Reservatis*, quia res invisæ nimis, difficulter quid statuitur. Siquid tamen statuendum sit, ita sentio: *Jura usualia*, Vid. C. 15. 18. 20. de elect. c. 2. de Transl. Episc. Trid. Sess. 25. C. 7. de ref. C. un. de Cler. ægrot. in 6. Can. 1. D. 80. C. 9. de his, quæ fiunt C. 1. & seqq. de reliq. & Vener. Ss. C. ult. de Reliq. Dom. C. un. cod. in 6. &c. rectissimis de causis * in summum Pontificem translata (ubi non obstant Ecclesiarum libertates, nationum concordata, particulares locorum consuetudines) Hic juste exercet, ubi aliter sedem Apostolicam inter & nationes ac Ecclesias non fuerit conventum. In cordati igitur Viri animum ingressum non inveniet Cardinale hoc *Anti-Pontificiorum* principiam: *Jura hæc non licitè solum sedi Apostolicæ abstrahi possunt, sed & omnino id fieri expedit, soluto etiam aliquantulum erga sanctam sedem obedientiæ vinculo.* Præterea enim quod omni jure destituatur, Schmid. Inst. 7. p. 178. quid contra idem dudum senserint Germaniæ nostræ *Archi-Præsules* palam facit Ep. 42. S. Bonifacii ad *Cuthbertum* An. 740. ubi „ decrevimus in nostro Synodali Conventu ** & confessi sumus Unitatem & subjectivem Romanæ Ecclesiæ sive tenus Vita nostræ velle servare, S. Petro & Successori ejus velle subjici, & per omnia præcepta S. Petri canonicè sequi desiderare, ut inter oves sibi commendatas numeremur, & isti confessioni Universi consensimus & subscripsimus. Explorat porro Synodus Triburius *** prope Moguntiam an. 895. congregata, ad quam Episcopi 22. convenerant, quos inter *Hatto Moguntinus*, *Rathbodus Trevirensis*, & *Hermanus Colonienfis* *Archi-Episcopi* eminebant, ubi notabilis hæc & imitanda continetur dispositio *Can. 30. In memoriam B. Petri Apostoli honoremus Romanam & Apostolicam Ecclesiam, ut, quæ nobis mater est Sacerdotalis Dignitatis, esse debeat Magistra Ecclesiasticæ rationis: quare servanda est cum mansuetudine humilitas, ut, licet ab illa sancta sede vix ferendum imponatur jugum, conferamus, & piâ devotione toleremus.* Quo super puncto plura si desideres, confer doctissimi *Lupol-*

*di de Bebenburg Doctoris Decretorum Viri Verè Germani, de Jure Publico Germaniæ nostræ optimè meriti, atque conservandæ pacis nationem nostram inter & sedem Apostolicam studiosissimi, Tractatum **** de Veterum Principum Germaniæ nostræ in fide & religione constantia per totum, ejusque verba exhortatoria Cap. penult. succo fidei & religionis plena *****.*

Sed abusus tollendos petis? Verùm, neque his, siqui sint, hic asyllum cedimus. Querimoniis solamen adferendum ais? recordare effati *Aeneæ sylvii* qui ep. 352. factâ de juribus his accessoriis non levi contentione ad *Martinum Cancellarium Moguntinum* ita scribit: *consideravimus igitur imprimis, quæ dicuntur contra Pontificem apud Germanos fieri murmura, nec miramur, siquidem nullus unquam locum B. Petri tenuit, qui non latrantium dentibus impeteretur, nec magnum putamus, siquis detrahit Callixto* (Pontifici tum temporis sedenti) *cum Magistro ejus sciamus detractum fuisse CHRISTO.* Plura ibi vide. Hæc occasione falsarum Decretalium dicta sufficiant.



* De quibus conf. *Fleury Hist. Eccles. Lib. XVIII. p. 745. in not. edit. lat. Thomassin. P. I. L. I. c. 48. Anort. Vind. Jurisd. Eccles. p. 77. Item ejus Dissert. p. 96. Schmid T. 1. Instit. p. 178. & 188.*

** Synodus ista Augustæ ad *Leccham Bonifacio Præside* celebrata est an. 740.

*** De hoc Conventu memorat *H. D. Trev. Tom. I. p. 235.*



**** Libellum istum, quem mole exiguum pietate grandem compellat *Anton. Possevin. in suo apparat. Tom. 2. conservavit nobis Bibliotheca quædam Spirensis, quemadmodum ex Epistola eidem præfixa, Magnanimo Friderico de Dalburgio, Equiti Aurato, inscripta, manifestum est.*

***** Hæc ita sonant: „*Matthias præcipuus suis temporibus legis* „*Divinæ Zelator (de cuius Zelo etiam legitur Can. 23. q. 9. si audie-* „*ris) Judam Machabæum & alios filios suos ad Zelum ejusdem le-* „*gis animare cupiens, ipsos, (ut patet 1. Mach. 2.) sic exitit al-* „*locutus: Mementote operum patrum, quæ fecerunt in Generationibus* „*suis, & accipietis gloriam magnam & nomen æternum. Quæ ver-* „*ba*



„ba, *pergit laudatus BEBENBURGIUS*, nostris modernis Ger-
 „maniae Principibus, consideratis operibus laudabilibus Veterum
 „Principum Germanorum, Christianae Religionis Zelum respicien-
 „tibus, in hoc libello cursim descriptis, congruè dici possunt. . .
 „Mementote igitur o nobilissimi Germaniae Principes operum Pa-
 „trum, Prædecessorum Vestrorum, eosdem propter Christianae
 „Religionis opera non tantùm laudibus extollendo, sed etiam si-
 „milia imitatione laudabili exercendo. In fide itaque Catholica
 „immobiles permanentes, ab ejus rectitudine Vos abduci non finite,
 „ipsamque desiderio ferventi Zelantes ad dilatandum ejusdem fidei
 „funiculos . . . contra ejusdem hostes fortiter affurgite: lite-
 „rarum studia congruis auxiliis ac privilegiorum concessionibus pro-
 „extermínio pravitate hæretica promovete. Deum cum interna
 „mentis Devotione ac summa pietate sedulo colite. *Sacrosanctam*
 „*Romanam Ecclesiam Vestram* omnium Christi fidelium *Matrem*
 „*piam* Vestris opportunis *defensionibus* ac aliis dignis *beneficiis* ho-
 „norate: *Jura* seu *consuetudines*, quæ eidem *Romanæ Ecclesiæ* com-
 „petunt, devotâ mente recognoscite, ipsiusque salutaribus monitis
 „& præceptis vos cum humilitatis mansuetudine conformantes
 „*eandem* in arduis Vestris dubiis tanquam *Magistram* Christi fide-
 „lium devotâ mente requirite: aliis etiam Ecclesiis & monasteriis
 „maximè à Prædecessoribus seu Progenitoribus vestris constructis,
 „dotatis vel ditatis defensionum aliorumque beneficiorum subsidia
 „opportuna porrigite: . . . Libertates & privilegia ecclesiis &
 „ecclesiasticis personis à Divis Regibus & Imperatoribus concessa,
 „non solùm conservare, nec non manutenere, sed etiam pro reve-
 „rentia divini cultûs augere curate; . . . alia quæque omnia &
 „singula devotionis opera, quæ Zelum Christianae Religionis respi-
 „ciunt, sicut & Patres nostri prædicti (utî ex præhabitis clarè patet)
 „in generationibus suis piissimâ devotione fecisse noscuntur, rota
 „mentis devotione peragere non cessate; &c. hucusque *Illmus*
 de *Bebenburg*.

IV. Pace Ecclesiæ Christi redditâ Sæc. IV. via opportu-
 na patuit convocandi CONCILIA * & OECUMENICA **



& PARTICULARIA *** atque tum PRIMA **** fieri cæ-
pit SS. CANONUM COLLECTIO *****.

* Ut primævus ille Christianorum spiritus plurimis vitiis deperditus revivisceret, & hæreticorum tum temporis paulatim insultantium retunderentur capita. conf. *Can. 1. 2. 3. D. 15.*

** Videlicet

a) *Nicæn. I.* quod sedente *Sylvestro* Papa circa annum 325. celebratum fuisse compertum est. Lapsum igitur *Gratiani can. 9. de 16.* notant *Correctores Romani* his verbis: *certum est synodum Nicænam primam celebratam esse tempore Sylvestri; sed in illa temporum obscuritate mirandum non est, Bedam & alios errasse.* Viginti tantum esse genuinos hujus concilii Canones perspicuum est historicis: nec *Espenius Dissert. in Synod. Nicæn.* plures agnoscit: summa tamen erga hoc Concilium reverentia effecit, ut ejus nomine multi canones, quos non condidit, fuerint acceptati, inquit *Fleury L. XI. p. 207.* quid igitur sentiendum de 80. *Canonibus Arabicis*, de *Can. 12. D. 16.* & *notâ Corr. Rom.* ad hunc *Can. de Can. 13. ead. Can. 1. 2. D. 73. Can. 4. XI. q. 1.* palam est.

b) *Constantinopolitanum I.* convocatum an. 387. Theodosio seniore imperii habenas tenente, ob hæreses tum exortas tum repullulantes, ob dissensionem circa ordinationem Episcopi Constantinop. & collapsionem Disciplinae restaurandæ. De Numero Canonum hujus Conc. eorumque intellectu confer *Espen. cit. Dissert. in hanc Synodum.*

*** Velut

a) *Ancyranam a. 314.* verosimilius habitum: condidit 24. Canones; *Fleury* ad hunc annum notat cum Græcis 25. sed his ultimus in duos divisus est. Conf. hic notam *Correct. Rom. ad Can. 12. XXXVI. q. 5.*

b) *Neocæsariense* intermedio tempore an. 313. & 319. celebratum, uti notat *Tillemontius in suis memoriis ad Hist. Eccl. Tom. 6. p. 1.* condidit Canones 14, sed *Fleury* aliisque Græcis 13tio Canone denuo in duos divisio; error *Gratiani Can. 11. D. 16.* emandatus est a *Corr. Rom. ibid.*

c) Gan-

c) *Gangrense*, de cuius fixo tempore non constat: equidem *Baronius*, *Binius*, & post eos *Auth. Annot. Barthelii* atque *Schmid. Inst. I. p. 14.* annum 325. determinant: Verum nonnullis hæc opinio omni prorsus fundamento destituta videtur. Quid ex præsentia *Osii* hic augurari videtur *Baronius ad an. 361.* desuper conf. *Labbeum Tom. 2. Conc. Col. 414.* tempus igitur certum signare admodum difficile & obscurum est. Viginti Canones in eo editos refert *Dionysius exiguus.*

d) *Antiochenum* conventum verosimilius a. 341. *Marcellino* & *Probrino* consulis. Vid. *Fleury* ad hunc annum: pro numero Episcoporum, qui in eodem comparuerunt secus, ac *Gratianus Can. 11. D. 16.* legit, conf. *Fleury cit. ibi*: hæc (fidei formula) omnibus 99. episcopis probata est.

e) *Laodicenum*, cuius tempus in an. 364. conijci posse, putant plures, non tamen adficientibus omnibus. De Authore Canonum hujus Synodi conf. *Baron.* contra *Anselmum.*

**** Primò visum *Espenio*, quasi tribus primis sæculis non extitisse Collectionem, prudentiæ PP. repugnaret, contrarium tamen *P. 1. de Auth. Ss. Canonum c. 3. §. 1.* in fine non obscure statuit.

**** Hæc *Codex Canonum Ecclesiæ Orientalis* audit. Ejus Authorem cum *Petro de Marca L. 3. c. 3. §. 1.* *Schilterus Tit. II. de Orig. I. C.* prætendit esse *Stephanum Ephesinum* secus sentiente *Zallweinio de Collect. I. E. & Hoppio præcogn. Juris p. 49.* ibi „rectius nullum certum authorem ab initio habuisse dicitur. An verò rectè dicatur *Codex Ecclesiæ universæ*? R. hunc Titulum vendicant eidem ambo *Justelli.* Verum hic distinguenda esse tempora arbitror; saltem tempore *Conc. Chalcedonensis* nondum in rigore *Universalis* extitit. conf. *Espen. Diss. IV. de prist. Cod. Can. græcorum.*

Additio. Collectio hæc Orientalis progressu temporis variis locupletata est Canonibus: uti non obscure colligitur ex *Novell. 131.* canones *Ephesinos* & *Chalcedonenses* eidem fuisse additos; aliud quoque ei augmentum accessit per *Canones Synodi Trullanæ*, aliósque Canone ejusdem secundo adoptatos: alios demum à *Joanne a Scholastico* divisos in



50 titulos Codici græcorum insertos extitisse, probabile asserit *Espenius* l. cit.

a) Primus hic LL. Augustorum à Constantino ad Justinianum pro Ecclesia Christi tuenda, & vindicanda vel ornanda latas conjunxit cum canonibus Episcoporum, & specimen dedit concordiæ Sacerdotii & Imperii, Legum & Canonum.

V. Quanquam Ecclesiam Romanam jam Sæc. IV. & V. proprio Codice fuisse usam sit Verosimile *; inter celebriores tamen Ss. Canonum Collectiones nobis SECUNDA est, quam DIONYSIUS EXIGUUS natione scytha & Abbas Romanus, æræ Christianæ notissimus, adornavit **.

* Id minimè videtur HARTZHEMIO in suo *Jure pub. mss. Proëm. P. II. p. 9.* atque ibi Ecclesiam Occidentalem Codice Ecclesiæ Orientalis fuisse usam asserit. Verùm, ut benè advertit cum ESPENIO SCHMID. *Inst. I. p. 16.* contrarium sese prodit ex responso *Lucentii* sedis Apostolicæ Vicarii in *Conc. Chalced. Act. 16.* PP. Orientalibus dato, cum *Canonem 3. Constantinop.* pro asserenda prærogativa Episcopi Constantinopolitani recitarent, videlicet *Canonem istum in Synodicis Constitutionibus non haberi*; quod alium Synodicarum constitutionum Codicem extitisse, qui *Canonem* istum non comprehenderet, multum probat. Teste quoque *Dionysio* ipso res comperta est, cum se cohortatione quorundam (potissimum *Laurentii* Romanæ Ecclesiæ Presbyteri) qui confusione pristini Codicis Latini offendebantur, inductum fuisse asserat, ut novam Collectionem adornaret. Qualis verò codex iste fuerit, an à *Fustello editus*, an *Quesnellianus*, examinat latè *Van Espen* Tom. III. *De Cod. Eccles. Rom.*

Additio. Notitiam hujus Codicis perutilem esse, inde pater, quod ex eo repellatur ac funditus convellatur impudens calumnia, quam famosi illi Magdeburgenses Centuriatores adversus Ssmos Pontifices Romanos *Zosimum, Bonifacium & Celestinum* sceleratissimè struxerunt, cum eos palam traducunt tanquam Nicænorum Canonum adulteratores



zores, fallatores & Corruptores: siquidem *Nicanis* Canonibus, *Sardicenses* in Codice Romano, magnâ confusione laborante, fuerint adjuncti, atque pro iisdem habiti: ideoque *PP.* in citandis his Canonibus sub nomine *Nicanis* bonâ fide suum Codicem secuti. Conf. *Hericourt Dissertation historique sur l'origine & le progres de Loix ecclesiastique f. 3.*

** Vir hic nomine quidem exiguus sed sanctitate maximus suâ confusione absolvit antiquam Canonum Versionem latinam, eique annexuit Epistolas RR. PP. à *Siricio* ad *Anastasium II.* usque, dicente eodem in præf. partis operis sui posterioris: *præteritorum sedis Apostolicæ Præsulum constituta, eâ, quâ valui, curâ diligentiaque collegi, & in quendam redigens ordinem titulis distinxi compositis.* Adjecit porro *Canones Sardicenses & 50 Canones Apost.* de quibus n. II. Pro commendanda Codicis hujus utilitate adduxisse juvat, quod *Baronius* ad an. 325 de eo disserit: *si fidelitas, inquit, atque peritia in transferendo & sinceritas in edendo quàm maxima requiratur; nulla exquiri potest editio exactior, atque fidelior, quàm quæ à magno illo. . . Dionysio elaborata est, cujus eximiam in utraque lingua peritiam, & morum egregiam probitatem CASSIODORUS dignis laudibus mirifice prædicat.*

Additio. 1. Hanc Collectionem teste cit. *Cassiodoro* usu celeberrimo amplexa est Romana Ecclesia, atque *Codex Canonum* dicta fuit. Vid. *Can. 1. D. 19. & 20.* notant quoque *Cor. Rom. hæc ea est* (Collectio) *quæ in notationibus, quæ nunc eduntur, absolute CODEX vocatur.* Conf. præf. ad *Decretum.* In Germania & Gallia Codicem hunc illico receptum esse vult *Petrus de Marca*, negant *Sirmundus & Justellus*: singuli divinando; nequaquam tamen negari potest à tempore *Caroli M.* in Gallia ceterisque Occidentis Ecclesiis ejus usum invaluisse.

Additio. 2. Adjecta RR. PP. post *Siricium* decreta oculos Protestantium non parum offendunt: quasi Hierarchia Ecclesiastica, ut stabiliretur, ea desiderasset: uti *Mejerus* in præf. ad *Cod. Can. Eccles. Univ. Justelli* §. 24. & *MASTRICHT apud HOPPIUM præcogn. Juris p. 51.* Verùm hæc infundata opinio satis superque à singulis orthodoxis vapulat, nec *Dionysium* primum fuisse, qui decreta hæc collegit, facile liquet inde, quod *Siricius* ad *Hmerium* *Tarraconensem* ait: *statuta sedis Apostolicæ vel Canonum Venerabilia definita nulli sacerdotum ignorare sit licitum.*

JURIS ECCLESIASTICI ANTIQUI

EPOCH A II.



VI. TERTIA * ampliôrque COLLECTIO Sæc. VIII. innotuit auctore ISIDORO ** qui EPISTOLAS multorum veterum Pontificum suo operi inseruit ***.

* Sunt quoque aliorum privatorum Collectiones, uti *Fulgentii Ferrandi Breviatio Canonum*, *Martini Braccarenfis* in usum Ecclesiarum Hispaniæ: *Cresconii Breviarium Canonum. Codex Adriani Ingilramno* (vel uti H. D. Trev. legit *Angilramno*) Episcopo Merensi transmissus: de quo vide *Fleury* T. X. L. 42. p. 424. ubi Codicem hunc potiùs *Angilramni* ipsius partum esse verosimile asserit ex haud levibus conjecturis.

** Hic quibusdam *Mercator*, aliis *peccator* audit: qualis verò fuerit, nescitur; saltem à nonnullis cum *Hispalensi* perperam confunditur, uti probè advertit *Antonius Augustinus*. Hanc Collectionem à *Riculfo* Episc. Mog. ex Hispania allatam & Gallis fuisse communicatam, testis est *Hinemarum Rbem. Opusc. adversus Hincmarum Laudun. C. 24.*

*** Decretales à *Clemente* ad *Siricium*, quas *Impostor iste* congeffit, spurias supra n. III. notavimus. Verùm signant hodierni Critici alias quoque merces minùs genuinas, quas fabricator iste Orbi erudito obrutas esse voluit; earum paucis meminisse, satis sit: sunt autem a) *Donatio Constantini. Can. 13. & 14. D. 96. Conf. Cærdin. Cusanum L. 3. Concord. Cathol. cap. 2. BARONIUM ad an. 1191. CHRIST. LUPUM Tom. 4. Scholiorum ad Can. 8. Dictatus Greg. VII. b) Excerpta quedam ex synodalibus gestis S. Sylvestri Papæ, queis Gratianus usus est Can. 2. & 3. II. q. 4. Can. 10. II. q. 7. Can. 9. *Caus. XI. q. 1. Conf. Petrum de Marca Lib. 1. de Concord. Sacerd. & Imp. Cap. 11. ibi „Viri emunctioris judicii hunc fetum ut adulterinum, inter Ceteras Isidori quisquillas reponunt. CHRIST. LUPUM. loc. cit. f. 597. LABBÆUM Tom. 1. Conc. Col. 1544. c) Epistola S. Athanasii & Aegyptiorum Episcoporum ad Marcum Papam, atque hujus ad eos responsum.**

Prioris



Prioris fragmentum retulit GRAT. *Can. 12. D. 16. d)* duæ Epistolæ *Julii I. ad Orientales*, & horum una ad *Julium* de quibus conf. *Labbeum l. cit. p. 475. e) S. Athanasii Ep. ad Felicem II. f)* Ejusdem *Felicis* epistola ad *Epp. in Alexandria Synodo congregatos. g)* Epistola sub nomine *Damasi* ad *Hieron. & Hieronymi ad Damasum. b)* Epistola *Africanorum* ad *Damasum*, atque *hujus* ad eandem *responsoria. (i)* ejusdem *Pontificis* epistola de *Chor-Episcopis* & alia ad *Episcopos Italiae. k)* Duæ *Anastasio I.* suppositæ ad *Episcopos Regionis Burgundicæ* & *NERIANUM nobilissimum Virum.* Vid. *Can. 2. d. 98. Can. 68. de Consec. D. 1. Can. 27. Caus. 13. q. 2. l)* Ep. *Sixti III.* inscripta omnibus *Orientalibus Episcopis. m)* Epistola *S. Leonis* de *Chor-Episcopis.* Vid. *Can. 4. D. 68. n)* Duæ Epistolæ *Joannis I. o)* Similiter Ep. *Bonifacii II.* ad *Eulaliu Alexandrin. Ep.* atque *exemplar precum* isti epistolæ subnexum. *p)* Epistolæ *Sylverii Papæ* ad *Vigiliu*, & *Anatorem Augustodunensem Episcopum*, nec non *hujus* ad *Sylveriu.* *q)* *Joannis Papæ* Epist. ad *Episcopos Germaniæ & Galliæ. r)* *Benedicti I.* ad *David. Episc.* de his ferè singulis *Censura Criticorum* est, eas *exhibere manu Mercatoris nostri: Conf. Labbeum, Papebrochium, Baronium, Petrum de Marca, van Espen* aliósque.

Crisis propria. Cùm tanti Viri ex momentis verè gravibus mentionatas Decretales epistolas in dubium revocent; si neque nobis easdem ut certò genuinas obtundi, nec *magisteriale argumentum* inde confici patiamur, non indignabuntur eruditi: minùs verò inde prolabemur in censuram huic *propositioni Wicleffi Angli: Decretales Epistolæ sunt apocryphæ & seducunt à fide Christi, & Clerici sunt stulti, qui student eas: à Concilio Constantiensi inustam, quemadmodum nuper in Exercitio suo Juridico exposuit disertè Cl. Nellerus.* Et profectò! neque ullus Catholicorum Criticorum Decretales istas in sensu ac spiritu *Wicleffi* reprobavit, neque Concilii Constantiensis Patres in alio, quàm *Wicleffi* intellectu propositionem istam proscripserunt, à quo longissimè alieni sumus.

VII. Inter alios Canonum Collectores sæculis subsequis plura congerere adlaborarunt RHEGINO * BURCHARDUS ** & IVO ***.

TIQUI

Sæc. VIII.
multorumgentii Ferran-
n Ecclesiarum
iani Ingilram-
Merenti trans-
odidem hunc
ex haud le-verò fuerit,
confunditur,
tionem à Ri-
mmunicatam,
Laudun. C. 24.iste congeffit,
dierni Critici
iste Orbi eru-
latis sit: sunt
Conf. Cærdin.
1191. Christ.
I. b) Excerpta
iracianus usus
XI. q. 1. Conf.
Cap. 11. ibi
ter Ceteras Is-
97. LABBEUM
Egyptiorum
s responsum.
Prioris

* Abbas Prümienſis eruditiffimus, de quo TRITHEMIUS in *Chron. Hirs-
aug. ad an. 393.* in *H. D. T. ad Sæc. IX. de ſcriptor. Trev.* „RHE-
„GINO ad Archi-Epiſcopum RATHBODUM comportavit ex decretis Ss.
„Patrum de Diſcipl. Eccleſiaſtica duo Volumina, quæ Capitulis ferme
„nongentis per Ordinem ſunt diſtineta. . . . Hoc opus primum ex
„Codice Helmſtadienſi edidit Joachimus Hildebrandus; deinde verò a.
„1671. curâ majori Stephanus Baluzius.“ Scripfit potiſſimum pro
Eccleſia noſtra Trevirenſi.

** Epiſcopus Wormatienſis, Alberti Gemblacenſis Abbatis discipu-
lus, de quo idem *Trithem.* ita ſcribit: BURCHARDUS *Vir in divinis
ſcripturis ſtudioſiſſimus & valde eruditus ſcripſit ex ſententiis Ss. Pa-
trum & Gen. CC. atque Summ. Pontificum magnum & Inſigne opus
videl. DECRETORUM quod diviſit in libros XX. quod ſatis luculentum
teſtimonium eſt, quantopere viri iſti de Familia Benedictina verè
illuſtres Ss. Canonibus incubuerint. Inchoavit verò opus iſthoc
urgente Brunichone Wormatienſis Eccleſiæ Præpoſito.*


*** Epiſcopus Carnotenſis, qui obiit a. 1116. duo ſcripſit volumina,
Decretum & Panormiam: hanc non *Ivonis* opus eſſe volunt quidam
cum Boehmero; affirmat verò *Eſpenius* cum *Alexandro Natali*. Non
ſinè fructu duo hæc *Ivonis* opera pervolvuntur, modò cum quo-
dam diſcretionis fale apocrypha à ſinceris ſecernantur.

JURIS ECCLESIASTICI

EPOCH A III.

JUS MEDIUM.

VIII. Sæc. XII. medio opus ſuum divulgavit GRATIA-
NUS * Benedictinus, quod inſcripſit: *Concordantiam discor-
dantium Canonum* ** ab EUGENIO III. *** prælegi permis-
ſum Bononiensibus, atque Authoritate Papali **** aliquoties
recognitum, nunquam tamen Authoritate publicâ dona-
tum



tum ***** etſi pro haurienda juris Eccleſiaſtici publici no-
ticia perquam utile *****.

* Virum iſtum in opere hoc ſuo condendo multum laboris impen-
diſſe, facile creditur; dolendum verò artis criticae ſtudio ab aeta-
te ejus quàm maximè fuiſſe alienum; quapropter multa ſpuria à
Pſeudo-Iſidoro deceptus adoptavit, quorum epitomen contexit
ſæpè laudatus *SCHMID. Inſt. J. p. 47. DE MAILLANE T. I. f. 587.*
Illum tamen pro inſtaurando Ss. Canonum ſtudio ſummopere ſol-
licitum fuiſſe, colligitur ex eo, quod *Pagius* noſter *ad a. 1151. §. 10.*
enarrat: *GRATIANO ſuggerente EUGENIUS III. gradus quosdam Aca-*
demicos excogitavit, non tam annorum, quàm profectus, ſcilicet Bac-
calaureatus (vel rectius Bacillariatùs conf. Calvin. ad hanc vocem) Li-
centiatus & Doctoratus, ut hoc ſpecioſo titulo ſtudioſos ad Jus cano-
nicum excitaret, & privilegiis accenderet. Hanc enim graduum in-
ſtitutionem omnes ſerè, qui de illis ſcripſerunt, ad GRATIANUM & LOM-
BARDUM retulerunt; neque ante P. LOMBARDUM eorum GRADUUM in
Scriptoribus mentio, indeque communiter dicitur, eum illos GRATIANI
imitatione Pariſiſ in Theologica Diſciplina inſtituiſſe. Confer tamen
hàc de re Buleum Sec. IV. hiſtor. Univ. Paris. qui me ſerè à Pagio
recedentem facit.

** Ut innueret, ſibi in animo eſſe ſupplere & emendare aliorum o-
peras, errores corrigere, atque pugnantia in harmoniam & melio-
rem ordinem redigere, ut notat *Anon. Auguſtin. Tr. elegantiffimo*
de emendatione GRATIANI Dial. 2. etſi finem hunc non ſat feliciter
adeptus fuerit. Hodie *Decretum* audit, quanquam *abufivè* multum.
Complectitur duas partes Majores, quarum una continet *Diſtinc-*
tiones 101. altera *cauſas* 36. & duas partes minores ſcil. *Tractatus de*
penitentia & conſecratione. Operis hujus allegandi modum V. apud
Engel. f. 3.

*** Quin tamen Opus hoc inde ſuum fecerit.

**** *Pii IV. V. & Greg. XIII.*

***** Tradunt nonnulli *Gratiani* Decretum ità prorfus probatum
fuiſſe, ut authoritas ejus tanta ſit, quanta Decretalium *Greg. IX.*
verum

verum abnuunt *Anton. Aug. L. cit. Dial. 3. van Espen Dissert. Proemiali ad Decretum Gratiani.* Omni prorsus autoritate destitui vult cum quibusdam *Cel. Anton. DÜRR Dissert. Inaug. Mogunt. de Parocho à perceptione decimarum Novalium in Germania excluso.* Viam tandem mediam amavit sapimus *BENED. XIV. Const. 113. §. 9. p. 455.* ubi inquit: *GRATIANI Decretum utpote privatâ Authoritate confectum tantam vim habet, quantam textus in eodem adducti ex se ipsis habere noscuntur: quæ tamen sententia minùs arridet iis, qui Decretum Autoritatem suam obtinuissè ex usu, observantiâ & diuturnâ possessione asserunt; sicque tenere usum juris, etsi hinc inde fallat quoad usum historicum.*

***** Hoc nemo inficiabitur; Disciplinam enim veterem & systema primævum Ecclesiæ omnium optimè nobis exponit, & Decretales eousque non pertingunt.

Additio. 1. Quid sint Capitula ista *Gratiani*, quæ inscribuntur *paleæ* explicat monitum ad Lectorem Decreto emendato præfixum. Ubi & *falsa dicitur sententia illorum, qui eas ut res leves contemnendas putant.* Vid. *C. un. de obligatis ad ratiocinia.* Cujus integer textus in *Can. 3. D. 54.* ut *Palea* refertur.

Additio. 2. Huic *Gratiani* Decreto in nostro Corpore Juris adnecuntur sic dicti *Canones Pœnitentiales*: de his *H. D. T. ad Sæc. VIII. f. 95.* ita refert: „à primis Ecclesiæ Sæculis, Christianis in Crimina lapsis, si „Deo reconciliari cupiebant, opus fuit salutaribus pœnitentiis reatum „expiare. Inde orti *Canones pœnitentiales*, hoc (*VIII.*) & sequenti sæculo recepri apud nos (*Trevirenses*) usûs, ut teste *Rheginone* nostro „*Lib. I. de Eccles. Discip. p. 30.* Presbyteri ad excipiendas Confessiones delecti interrogarentur: *Si habeant Pœnitentiale Romanum, vel à Theodoro Cantuariensi, (Conf. C. 3. de furtis. C. 1. de Sortilegiis) aut à Venerabili Beda editum; ut, secundum quod ibi scriptum est, interrogent confitentem, aut confesso modum pœnitentiæ imponant.* „Verum salutaribus „his Canonibus in immensum nemus excrescentibus, atque aded in ab- „usum versis, ut nec Vita hominis pœnitentiis peragendis sufficeret, „inventa est ratio eas redimendi, maximè per eleemosynas; quæ nunc „in sacrorum locorum commoda verti ceperunt. Vid. *RHEG. L. II. C. 438. ESPEN. J. E. P. 2. Tit. VI. c. 3.*

IX. QUINQUE alia, medio tempore Gratianum inter & Gregor. IX. confectæ sunt Epistolarum Decretalium COLLECTIONES BERNARDI BALBI * GILBERTI & ALANI ** BERNARDI COMPOSTELLANI *** INNOCENTII III. **** & HONORII III. *****.

* Ecclesiæ Ticinensis Præpositi, dein Episcopi Faventini, postremò Ticinensis, postquam S. Lanfranco suo Magistro successerat. *Fleury H. E. l. XXX. p. 215.* hic Juris Canonici, cujus erat peritissimus, Libros V. composuit, ac Decretales, canonésque quorundam conciliorum usque ad an. 1190. collegit *ibid.* conf. *Greg. Tholossan. Partit. f. Pontif. l. 1.*

** Hi alteram inchoârunt Collectionem, absolvit eam *Gallus Volaterrensis.* Hæ duæ primæ collectiones privato solum judicio ac sententiâ editæ sunt, ut ait *BENED. XIV. in sui Bullarii præf.* publicâ igitur Autoritate destitutæ.

*** Magni Archi-Diaconi, qui Collectionem suam deprompsit è Tabulis actorum *Innoc. III.* eam recognovit *Petrus Beneventanus* Pape Notarius sub annum 1210, atque *Innoc. III.* Bononiensibus, ut *absque ullo dubitationis scrupulo uterentur tam in judiciis quàm in scholis,* destinavit.

**** Cui causam præbuit Concilium *Lateranense IV.* in quo idem Pontifex 71. Capita ediderat; publicam auctoritatem obtinuisse, fons, unde dimanavit, satis indicat.

***** *Qui compilari fecit quasdam Epistolas Decretales super his, quæ suis suborta temporibus per fratres suos decidit, vel etiam aliis de ipsorum Concilio commisit decidenda, easque Magistro Tancredo Archi-Diacono Bononiensi destinavit, mandans, quatenus eis . . . publicatis . . . uteretur, & ab aliis recipi faceret tam in judiciis quàm in scholis.* Verba sunt epistolæ *Honorii III. M. Tancredo* inscriptæ quæ est *Cap. 1. 5tæ* collectionis notis illustratæ ab *Innocentio Cironio.*

X. Confusioni multiplicatis hisce Collectionibus exortæ *
 remedium adlaturus GREGORIUS IX. DECRETALES edi-
 dit ** seu EPISTOLAS & CONSTITUTIONES tum pro-
 prias tum Prædecessorum suorum & Concilii Lateranensis
 M. easque Bononiensis Academiae Doctoribus destinavit ***.

* Conf. Bullam Greg. IX. ad Decretales. BOEHMERUM Diss. de decretal.
 RR. PP. Variis collect. §. 15. FLEURY l. cit. f. 216.

** Usus opera Raymundi Pennafortii Pœnitentiarii sui, Viri ab omni
 fraude alieni.

*** Volens, ut hoc volumine omnes uterentur in scholis & judiciis; simi-
 les quoque literas dedit ad Doctores Parisienses SPOLETI 5. sept. 1234.
 Illico auctoritatem hæc Collectio obtinuit, idque in vim promul-
 gationis à Greg. IX. factæ, uti de expressa L. latoris voluntate sa-
 tis constat.

Additio 1. Cùm Greg. IX. Decretales istas colligi voluerit, *refecatis*
superfluis, quemadmodum loquitur in proëmio; non levis de Authorita-
 te illarum difficultas oritur, an eam obtineant, *prout jacent*, num verò,
prout earum fragmenta nectuntur partibus refecatis? hoc impresentiarum
 complures sentiunt: *Singulis ità positis auctoritatem deberi*; singula enim
prout jacent, Pontifex sua fecit, suam Authoritatem interponendo: re-
 tinende igitur sunt



a) ADJECTIONES. Conf. C. 2. de elect. C. 1. de jud.

b) DETRACTIONES Conf. C. 1. de purg. Can.

c) MUTATIONES Conf. C. 4. de for. comp. C. 2. de Cler. excommunic.

d) MERCES quoque *subditivæ*. Conf. c. 1. de elect. C. 3. de Pecul. c. 1. & 7.
 de Accus. C. 3. 4. 5. 6. 7. de Sim. C. 5. de hæret. & jud. &c.

Additio 2. Verùm Raymundus, dum superflua refecare voluit, non-
 nunquam etiam utilia, imo & necessaria prætermisit, notante Contio ad
 Verba proëmii: *refecatis superfluis*, ibi „interdum & utilibus, quod & de
 TRI-



TRIBONIANO dicitur, qui fuit RAYMUNDO isto doctior: oportet igitur, ut sequamur monitum, quod Auditoribus suis dedit eruditus Florens in Oratione: de rectâ juris Canonici discendi ratione: ut in GREGORII Collectione legenda antiquæ Collectiones semper consulantur, in quibus Constitutiones integrioris reperientur; & sanè pro hauriendo genuino Decretalium sensu fontes consulendos esse suadent C. 3. de Consuet. C. 3. de Appell. C. 1. 2. de jud. c. 6. de prob. c. 26. de testib. c. 3. de constit. desumptum ex cap. 4. eod. c. 2. de elect. c. 5. de testam. velut rem illustrat aliis quoque exemplis ESPEN T. III. Diss. in V. Lib. Decret. p. 528. & seq. docuit id quoque eruditissimè Dissertatio patria non ita pridem de Cap. 2. de his, quæ fiunt à Prælatiis. Profectò! si clariores LL. Interpretes Veterum Romanorum J. Consultorum responsa & scripta investigent, ut ex his legum clariorem sensum eruant, cur id inconsultum foret interpretibus Ss. Canonum? unde sciendum est, ait Jure peritissimus Gonzalez in suo apparatu de Orig. & prog. J. Can. n. 53. Earum (Decretalium rescatorum) usum Jurisprudentiæ Canonice Professoribus valde utilem, imo necessarium esse, cum ex fontibus ipsarum decisionum rectius veritatis cognitio hauriatur assequaturque. Certè, dum capi hujus Juris professioni operam dare, statim ad fontes digitum intendi, regesta GREG. M. ALEX. III. INNOC. III. perquisivi, & his assiduè usus fui; nec adhuc ejus consilii & studii prænitet, imò in ea sententia adhuc persisto, veram perfectamque cognitionem insalutatis antiquis integris Pontificum, Conciliorumque monumentis, assequi non posse. Alii existimant pueriles, inanes, ac otiosas esse has elucubrationes, sed non sine magno hominum eruditorum risu.

XI. An. 1298. Collectioni Gregorianæ adnexuit SEX-
TUM DECRETALIUM * Bonifacius VIII. ** eumque mo-
re Prædecessorum suorum ad Bononienses ablegavit ***.

* Continet is præcipuè Constitutiones Gregor. IX. post factam ejusdem collectionem editas; Innoc. IV. Alexand. IV. Greg. X. Nicolai IV. & ipsius Bonif. VIII. Decreta pariter CC. Lugdun. sub Innoc. IV. & Greg. X.

** Qui curam hujus Sexti conficiendi dedit Guilielmo Archi-Epis-
po Ebrodunensi, Berengario Episcopo Biterrensi & Richardo de Senis

S. R. E. Vice-Cancellario. Pontifex iste Decretales fuorum Antecessorum persæpè immutavit, uti patet ex Ep. volumini præfixa, ibi *Et tandem pluribus ex ipsis (cum vel temporales, aut sibi ipsis vel aliis juribus Contraria seu omnino superflue viderentur) penitus rescatis, quibusdam ex eis abbreviatis & aliquibus in toto vel parte mutatis multisque Correctionibus, detractionibus & additionibus, prout expedire vidimus, factis in ipsis. Conf. c. 1. de Decimis in 6. c. 2. Ne Clerici vel Monachi in 6. c. 1. de testam. in 6. c. 11. de rescript. in 6. c. 8. de præb. in 6. atque JOAN. ANDREAM ad h. cap. & præm. Sexti Decretal. Verb. Additionibus.*

*** Vid. Ep. præf. Verbis „ut hoc tantum volumine utantur &c. In Germania eum illico receptum esse testatur *Anonymus princ. f. p. Eccl. c. VIII. n. 9.* non iridem in Gallia: rationes dant *Fleury f. f. Hopp. præcogn. f. Hericourt Dissertation historique n. V. in addit. DUR. DE MAILLANE Diction. de Dr. Can. Tom. I. f. 586. ESPEN T. III. f. 617.*



XII. Hisce Collectionibus successerunt CLEMENTINÆ *
EXTRAVAGANTES JOANNIS XXII. ** & COMMUNES ***.

* Has elegantes & succo juris plenas *Clemens V.* in Conc. Viennensi edidit, atque in unum colligi jussit: eo verò morte prævento eas *Joannes XXII.* Bononiensibus transmisit. conf. *Bull. Joannis XXII. ante Clementinas.*

** Sic nuncupatæ, quia corpore Juris contentæ non erant: privatâ congestæ sunt operâ, pari tamen cum *Clementinis* obsequio exceptæ.

*** Incerto Authore compilatæ, auctoritatem tamen, eadem cum prioribus viâ, nactæ. Referuntur in iis varia Decreta *Urbani VI.* usque ad *Sixtum IV.*

Additio. Sex igitur hodiernum Corporis nostri Canonici partes numeramus: *Decretum, Decretales, Sextum, Clementinas, Extravag. Joannis XXII. & Communes.* Equidem in eo videmus septimum Decretalium, Institutiones quoque *Lancellotti*, sed neuter libellus obtinuit Auctoritatem publicam.



XIII. Corpori huic Juris Can. meritò subnectuntur RUBRICÆ * SUMMARIÀ ** INSCRIPTIONES *** ALLEGATIONES **** & HISTORIÆ *****.



* Seu Tituli Libr. C. 7. conf. L. 2. §. 3. ff. de interd. § 1. 1. C. de R. C. duplicis generis sunt, *aliæ*, quæ integrum sensum reddunt e. g. de bigam. non ord. ut benef. eccles. sine dimin. &c. istæ parem cum textu auctoritatem habent: *aliæ* quæ eodem sensu destitutæ sunt v. g. de elect. postul. &c. his tanta vis non inest. Qualiter à rubro ad nigrum argumentari liceat, vid. Reiffenstuel proëm. ad jus Can. n. 96. SCHMALZGRUEBER ibid. n. 297. seqq.

** Ista singulis capitulis præfiguntur, eorumque argumentum exhibent: eorum alia, ac de Rubricis, est habenda ratio, privato enim studio, Abbatis seculi, Dominici, Joannis Andr. adjecta non pertingunt ad auctoritatem publicam, nisi cum textu consonent: neque iis tutò satis fidi potest v. g. arg. c. 2. de testib. C. 2. de his quæ fiunt à præl. conf. Diss. Inaug. Eschermammianam, ubi eidem aliud ac in nostro Codice continetur, Summarium substituitur.

*** Denotantes fontem unde & terminum ad quem Decretales emanarint: an ex his valeat argumentatio ad præcedentiam, desuper conf. Zecch præc. Jur. p. 221. sæpè à Decretali absunt: sæpè incertæ vid. c. 37. de elect. ad quod ità notat Gonzalez n. 1. cui missa fuerit præsens decisio, non constat. Sæpè fallunt: v. g. Inscriptio c. 4. de Archipresb. c. 3. de fer. § 6. de penit. conf. cit. Gonzalez commentaria perpetua in singulos textus Decretalium.

**** Aliæ facti sunt, aliæ juris; illis nihil juris inesse palam est; posteriores, si à jure communi non devient, aut in parte rescripti Dispositivâ (sententiâ ipsius Pontificis) assumantur, utique Auctoritatem obtinent. Conf. c. 20. de rescript. c. 10. in fin. de const. c. 13. de rest. spol.

***** Non omnes in Decreto & Decretalibus occurrentes extra contradictionem sunt. Conf. n. VIII. X. hujus syll. can. 22. Dist. 63. c. 9. D. 19. c. 21. D. 3. de consec. c. 15. XVI. q. 7. Item c. 11. de re-



nunc lapsus est in historia *Imoc. III.* dum *Canonem istum Concilii Phor-
tiani* vid. C. 45. VII. q. 1. dixit esse *Canonem Conc. Constantinopoli-
tani I. in Verbis*: Cum sit unum ex quatuor principalibus, quæ
sicut quatuor Evangelia Ecclesia Catholica veneratur. vid. *Gonzalez
ad Cap. 11. de renunc. lit. f.*

XIV. Nec immeritò hîc mentio incidit de **VETERUM *
GLOSSIS **** atque **DE SS. CANONUM INTERPRETI-
BUS *****.

* Magnam horum *Glossarum* copiam exhibet *Martini Lipenii Bibl.
real. Jurid.* Celebriores refert *Zecch de interpret. J. C. f. 353.*

** Istis & defectus & virtutes insunt. Defectus deprehendimus c. 1.
v. *Diabolus de sum. Trinit.* c. 8. de *Transact. V. necessaria* c. 6. de
celeb. *mill. V. Sanguinis* c. 14. *V. fermentato.* Eod. item c. 23. *de elect.*
c. 16. *de jud.* c. 34. *de elect. V. Transstulit.* cum quâ in errorem pro-
lapsus *Cl. Engel Tit. de Sac. unct. n. 5. in fin.* . . . Virtutes *Glos-
sarum* obvix sunt, cum casus capitulorum potissimum benè figurent:
eorum puncta ordinariè tangant: ex ipso textu objiciant & expli-
cent, uti vel obiter insipientibus in aprico est.

Additio. Quæ verò *Authoritas Glossæ* inest? R. ab ea de facili non
est recedendum: Adducere nihilominus hîc opportunum duxi ea, quæ
de *Glossæ Authoritate* censeat *GAILIUS in suis observat. practicis Lib. 1. obs.
153. f. m. 174. edit. Colon. de an. 1771.* præfante *Cl. Gosmino Josepho de
Buinink* ibi „*Magnâ in judicando GLOSSÆ Authoritas est, ad eò ut Com-
muni opinioni Doct. præferenda sit*: citans ibid. *Auth. plures.* Sed *DD.
nostri*, pergit, nimio opere tribuunt *Authoritati GLOSSÆ* sicut disertè ex-
plicat *ZASIVS resp. smg. &c. cujus hæc sunt verba*: „*ACCURSI GLOSSEMATA*
„*nihil plus ponderis habent, quàm alterius docti Viri doctrinæ, quibus sinè*
„*textu aut evidenti ratione nihil creditur*: imo error est, & quidem peri-
„*culosus, ACCURSIO tantum tribui, quantum conspiratâ DD. factione eidem*
„*tribuitur*: qui etsi fuerit *Vir doctus, & omni Veneratione dignus, tamen,*
„*& errare potuit, & juris condendi Authoritatem non habuit*“ & Paulo post:
„*Denique & ipsemet ACCURSIVS taxat eos, qui in defectum legum proba-
tionem GLOSSARUM adducunt*: nec enim *GLOSSÆ* credendum est, nisi lege
„*moveatur vel optimâ ratione. Idem n. 12. inquit*: *Vulgaris error eorum*

est, qui plus timent, ne à *Glossis* recedatur, quam ne lædatur veritas: quò pertinet doctrina *Nicolai Everh.* dicentis: *ridiculum esse allegare GLOSSAM, ubi textus habetur.* Hæc *Gailius.*

*** Plures ejusmodi recenset *Espen Diss.* de iis speciali *T. III. postb. f. 720 seqq.* de his observandum est aureum illud *Apostoli* monitum: *Omnia probate, quod bonum est tenete.* *I. ad Theß. c. 5.* neque omit- tenda hic est œconomia *Sapmi P. Bened. XIV.* quam observari præcepit à *S. Ind. Congreg.* in examinandis proscribendisque libris: in *Constitutione* enim, quæ incipit: *SOLLICITA. VII. Id. Jul. 1753.* edita hanc statuit regulam: *de variis opinionibus atque sententiis in unoquoque libro contentis, animo præjudiciis omnibus vacuo, judican- dum sibi esse sciant: itaque NATIONIS, FAMILIÆ, SCHOLÆ, INSTI- TUTI adfectum excutiant: studia parvium seponant: Ecclesiæ S. Dog- mata, & doctrinam, quæ Conciliorum Generalium Decretis RR. PP. Constitutionibus & orthodoxorum Patrum atque Doctorum consensu continetur, unice præ oculis habeant; hoc de cetero nihilominus cogitan- tes, non paucis esse opiniones, quæ UNI SCHOLÆ, INSTITUTO, AUT NATIONI certo certiores videntur, & nihilominus sine ullo fidei aut religionis detrimento ab aliis Catholicis Viris rejiciuntur atque impugnan- tur, oppositæque defenduntur, sciente ac permittente apostolicâ sede, quæ unamquamque opinionem hujusmodi in suo probabilitatis gradu relinquit.* † In cujus prudentissimæ sententiæ suæ confirmationem ibi adducit aliud decretum à *Ven. Prædecess. suo,* in quo virtute „ *S. obedientiæ præceptum est omnibus doctoribus, ut caveant ab „ omni sententiarum censura & nota (nisi veritatis suppressæ aut „ ignoratæ eruendæ Zelus aliud postulet) nec non à quibuscunque „ convitiis contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos con- „ trovertuntur &c. atque eos, qui secus agunt, adfirmat ibid. ex S. „ Aug. sententiam suam amare, non quia vera est, sed quia sua est; postremoque addit: non ferendum esse, privatas sententias veluti certa ac definita Ecclesiæ dogmata obrudi, oppositas verò erroris insimulari, quo turbe in Ecclesia excitantur, dissidia inter DD. aut feruntur, aut „ joveantur, & veritatis Christianæ vincula abrumpuntur.*

JURIS ECCLESIASTICI

EPOCHA IV.

JUS NOVISSIMUM.

XV. Hoc Jus novissimum meritò auspicamur à **CONSTLUTIONIBUS** illis, quas post nostrum Corpus **Canonicum** editas * nobis **BULLARIUM M.** ** exhibet.

* Hæ propriè Extravagantes sunt, quia non sunt in Corpore Juris; præcipuæ, quarum allegatio frequens est, sunt *Pii V. Greg. XIII. XIV. & XV. Sixti V. Urbani VIII. Clementis X. & XII. & Bened. XIV.*

** Opus est *Laërtii Cherubini* JC. Romani & *Angeli Mariae Cherubini* ejusdem filii; *Bened. XIV.* quoque suas Constitutiones imprimi typis curavit, easque more antiquo DD. Bononienibus inscripsit, quarum IV. Tomi passim obvii sunt.

Additio. Quæ verò harum Constitutionum extra Codicem nostrum Juris vagantium Authoritas? R. Si allegantur incertæ fidei Decretales, servabitur hodie *Cap. 8. de fide Instrum.* ubi *Innoc. III. Helienfi Episcopo* ità scribit; *cùm aliqua Decretalis, de qua judex meritò dubitet, allegatur: si ea juri Communi sit consona, secundùm eam non metuat judicare, cùm non tam ipsius quàm juri communis Authoritate procedere videatur: verùm si juri Communi sit dissona, secundùm ipsam non judicet, sed superiorem consulat super eam.* . . . Si verò constet authenticè Constitutionem à Pontifice emanasse, attende ad *Can. 1. D. 19. non ideo eam rejiciendam esse, quia in codice canonum non habetur;* An vero tum universaliter obligat? R. Pro norma est *c. 5. de rescriptis,* ubi *Alex. III. Ravennatenfi Episcopo:* *Aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per literas, quare adimplere non possis, rationabilem causam præendas.* Quod ordinariè in Germania practicatur, nisi constitutio sit evidentè impracticabilis, aut imperii LL. resistent. In Gallia & Belgio Episcopi nihil audent publicare sinè *Placeto regio,* quod & in ducatibus *Julie & Montium* &c. introductum esse constat. Opinio igitur, quæ LL. Papales
Disci-

Disciplinares (nullâ promulgatione secuta in singulis Dioccesibus) ubique illico obligare prætendit, et si *in Theoria*, *in Praxi* tamen vix sustineri potest. (*)

(*) Non recentior hæc, *etiam in scholis regularium*, doctrina est: antecesserunt Viri *Regulares Clarissimi*, inter quos obvii sunt Cl. *Zallweinius*, *Schmid*, qui probatâ sua opinione, *Inst. T. I. f. 182.* demum concludit: *neque ratiuncule quædam aut distinctiuncule tantæ habendæ sunt, ut continuam praxin tot seculorum evertant.* Accedit laudatus sæpè *P. Luidl. Diss. V. f. 1175 & seqq. in R. 3.* ita inquit: *Vero est similis ad obligandos universos fideles hautquaquam sufficere leges Pontificias* (intelligit disciplinam tantum concernentes, siquidem inter has, & eas, quæ fidem morésque concernunt, ingens adhuc discrimen est) *Romæ solummodo promulgari: Sed requiritur, ut in singulis Provinciis ac Dioccesibus promulgentur. Hodiernus quidem Romanæ Curie stylus id præsefert, antiquis tamen incognitus; quod & validis rationibus & momentis ibidem ostendit.*

XVI. Aliam Juris novissimi partem constituit CONC. TRIDENTINUM * sub PAULO III. JULIO III. & PIO IV. PP. CAROLO V. & FERDINANDO I. Impp. celebratum contra novas ejus temporis Religiones ** atque ut nutantium Ss. Canonum observantiam restauraret ***.

*) Quantopere Concilium hoc celebrari optarit Germania nostra, verè omnibus Imp. recessibus expressum comperies: necessitatem ipsius exigebat miserimus Imperii & Religionis nostræ status ob perversa heterodoxorum dogmata.

** Has profligavit per *Canones suos Dogmaticos.*

*** Desuper in eo cogitatum & allaboratum summe fuit; præstitit, id per *Canones suos disciplinares seu reformatoria Decreta*, de quibus in proverbium transiit: *obligant, ubi sunt recepta*; id tamen nequam de *dogmaticis* intellige, cum fides una semper sit, & invariabilis.

Addit.

Additio. Synodum istam, demptis aliquot Decretis reform. à Catholicis omnibus reverenter susceptam, velut Christianam, piam, liberam, & Oecumenicam fatetur ANON. ipse *Princip. f. p. Eccles. c. 6. n. 33.*

XVII. Orta super genuino Decretorum Discipl. C. Trid. intellectu dubia dirimit CONGREGATIO * CARDINALIUM C. TRIDENT. INTERPRETUM **



* Plures Congregationes debemus Sixto V. 1. pro Sacra Inquisitione. 2. pro signatura gratiæ. 3. pro erectione Ecclesiarum & provisionibus consistorialibus. 4. pro ubertate annonæ status ecclesiastici. 5. pro sacris ritibus & ceremoniis. 6. pro classe paranda & conservanda ad statum ecclesiastici defensionem. 7. pro Indice librorum prohibitorum. 8. pro status ecclesiastici gravaminibus sublevandis. 9. pro universitate studii Romani. 10. pro consultationibus regularium. 11. pro Consultationibus Episcoporum & aliorum Prælatorum. 12. pro viis, pontibus & aquis curandis. 13. pro Typographia Vaticana. 14. pro consultationibus negotiorum status Ecclesiastici. 15. pro interpretatione Conc. Trid.

** Conf. Constit. Pii IV. Pii V. & Sixti V.

Additio. Quantum Authoritatis hæc Congregatio Emmerum Cardinalium prætendat, nec ipsa hæctenus declaravit, nec Papa, sed soli Canonistæ divinant; merè doctrinalem ceu Authoribus Classicis attribuere illi facultatem interpretandi, uti tradit *Espenius in supplem. ad jus Eccles. univ. f. 48.* nimis humile foret, neque Constitutionibus citatis satis conforme: verè & propriè legalem authoritatem hisce Declarationibus attribuere similiter non audeo, quia nec de potestate satis constat, nec de solemnitate ad legem necessaria: media igitur Declarationum istarum videtur esse authoritas, publica quidem & privatâ major, non usque tamen ad eò ex se valitura, ut sphaeram legis assequatur, nisi in ea, quam alie LL. universales exposcunt, forma compareant. conf. *ENGEL Proëm. n. 16.*

XVIII. Ad jus novissimum plures referunt JUDICATA * ROMANÆ ROTÆ ** AUDITORUM ***.

* Hæc per se *Jus Commune* non constituunt, quia Authores eorum tantum



tum *sententiare* valent, non novas Leges ferre; *Decisio* tamen *Constantans* & *perpetua* in hoc *Tribunali stylum* & regulam facit pro ista curia, unde nec extra curiam eorum *authoritas* ut *levis* contem- nenda est, in his saltem, quorum *appellatio* Romam devolvitur, propter manifestum periculum *sententiæ reformatoriae*.

** Cur ita vocetur, censent plerique, quod *Auditores alternis vicibus* quasi *rotatim* suo fungantur munere; vel quod *præcipua Christiani orbis negotia* apud illos versentur & agitentur. Vid. *du Cange Glossar. T. I. p. 837.*

*** Hi olim quatuordecim erant teste *Sandino vit. PP. ad Sixt. IV* hic eos reduxit ad numerum duodenarium; sunt itaque hodie: *Tres Romani, Germanus, Gallus, Castellanus, Aragonius, Venerus, Mediolanensis, Senensis & Perusinus vicissim, Bononiensis, & Ferrariensis.* Quis stipendia decrevit *Innocentius VI.*

XIX. Juri novissimo pariter accensentur **REGULÆ CANCELLARIÆ ROMANÆ** * *Originem suam nactæ à JOANNE XXII.* ** *postea verò à NICOLAO V. in modernum, in quo sunt, statum perductæ* ***.

* Tales ita vocitantur, quia major earum pars concernit *expeditionem literarum*, quæ in *Cancellaria Romana* expediuntur: nomen itaque hæreditarunt à *Cancellario*, ad cujus directionem primò fuerunt adinventæ; communiter dividuntur in regulas *de Dandis*, quæ respiciunt universos, aliæ *de Dandis non sunt*, quia dant normam solis officialibus *Cancellariæ*; juxta stylum *Curia moriuntur moriente Pontifice*, per novum verò *Pontificem reviviscunt*; eas pro lege *universali etiam extra curiam ubique observandas esse putat Gomefus*, verum hæc *sententia hodie in praxi valido patrocínio destituitur*; usum igitur & observantiam consule: *in Germania non obligant, nisi in quantum consentaneæ sunt concordatis nostris.... In Gallia regulas de Infirmis resignantibus, de publicandis resignationibus, & de Verosimili notitia receptas esse & adinstar Legis in Parlamento registratas notat Espen T. III.*

form. à Carho-
piam, liberam
c. 6. n. 33.



pl. C. Trid.
RDINALIUM

ra Inquisitione
provisionibus
i. 3. pro sacris
anda ad statum
itorum. 8. pro
veritate studii
Consultationi-
s. pontibus &
ro consultatio-
one Conc. Trid.

orum Cardina-
sed soli Cano-
is attribuere illi
ad jus Eccles.
tatis sacris con-
tationibus attri-
at, nec de so-
istarum vide-
usque tamen
ea, quam alie
EL Proem. n. 16.

CATA * RO-

res eorum tam-
tum



f. 700. alias quoque, de *Impetrantibus beneficia viventium*, de *annali possessore*, de *Idiomate*, usu receptas fore observant alii.

** Teste *Gomesio* in præem. Comment. ad has regulas: *sat's compertum est, regulas Cancellariæ à Joanne XXII. initium & Originem habuisse.*

*** Hic primus utiliores Decessorum suorum regulas collegit, ac plures alias judiciales, sive normam administrandæ justitiæ determinantes adjecit. Ceterùm commentati sunt in eas præter *Gomesium* cit. *Joannes à Chokier, Gonzalez, & Mandos.* Quos consule.

XX. Ad jus novissimum speciale nunc dilabimur videl. Germaniæ nostræ CONCORDATA * inter quæ, præter antiquiora ** sunt famosa illa, quæ inter FRID. III. Imp. & IMPERII PRINCIPES, nec non LEGATUM PONTIFICIS Aschafenburgi concepta, & postea anno 1448. à NICOLAO V. Papa solemniter confirmata sunt. ***



* Sub his intelliguntur conventiones ab Imperatoribus ac Regibus Romano-Germanicis cum sede Romana initæ.

** Qualia sunt pacta *Adriani* cum *Carolo M.*, *Leonis VIII.* cum *Otone I.*, *Callixtum II.* inter & *Henricum V.* conventa.

*** Objectum horum *concordatorum* (quæ sunt temperamentum *Concil. Basil. (a)* & *Reg. Cancell.*) præcipuè triplex est, 1. *Dignitates majores.* 2. *Dignitates inferiores, & beneficia.* 3. *Annate.* Conf. de his *Barthelium, Horix concordata Nat. Germ. integra. Anon. Demonst. Anal. de Præpositivis. Anon. observationes Histor. Jurid.* quas tamen singulas meas facere nolo.

a) Omnino hic legi promeretur. *Dissertatio patria Inauguralis de an. 1764. De Certis Conc. Basileensis Decretis, à Germania acceptatis. Additio.* Concordata ista veram habere naturam pacti & conventionis, nemo est hodie Canonistarum & Publicistarum, qui id abneget; adficientibus vel ipsis RR. PP. *Nicolao V. in Constit. ad sacram §. 1. & Julio III. in Constit. de 14. Sept. 1554. ibi.,* Nos attendentes concordata prædicta vim pacti inter partes habere, & quæ ex pacto constant, absque partium consensu abrogari non posse. Ex hoc igitur subsequa Corrollaria statuo:

a) Om-





- a) Omnino falsam esse sententiam illorum, qui *Concordata* illa nullius roboris firmitatem obtinere prætendunt, atque partem alterutram ad eorum contraventionem extimulant, velut *Anon. kurze Abhandlung von dem Rechte des Kayfers &c. in fin.* Et profectò, si pax *Westphalica* nuncupata velut Sanctio Pragmatica Imperii respicienda sit, aded, ut *sententiæ contrariæ* parvos velut *publicæ salutis hostes* convellat *L. B. de Ictiad Tom. II. opusc. 6.* quid sentiendum erit de iis, qui *concordata* nostra ad unionem *filiarum* cum *Matre* stabiliendam inita ut cassa & irrita venditant: *Imperium Romanum*, ait *Exord. Avisam. ad Maximil. I. an. 1550. habet Concordata, quibus in conferendis beneficiis innititur, utque ea illesâ conserventur, interest Sacræ Cæsareæ Majestatis.*
- b) A neutra parte in alterius præjudicium sinistram eorum interpretationem, minus derogationem fieri posse; *Litera enim Concordatorum nobis certam Legem tulit deinceps inviolabiliter observandam. Æn. Sylv. Ep. 383.*
- c) Neque puto, in iis præscriptionem obtinere locum: affirmantium enim vana videtur altercatio, ex quo natio nostra, *Verax, justa, & promissi tenax*, contra sedem Romanam præscribere nolit, sed pro sua parte pacta custodire, sicut perpetuò præterit eadem custodiri consimiliter à *Sede Apostolica.*

P A R E R G A

EX LIB. I. ET II. DECRETALIUM.

1. *Providè disponente Domino, Romana Ecclesia cunctorum fidelium Mater est & Magistra.*
2. *Imperator Catholicus interest Synodo ad fidem confirmandam, non ad potentiam exercendam. Can. 2. D. 29.*
3. *Illam Ulpiani definitionem Juris Naturalis princ. Inst. de J. N. g. & c. utat ab aliis impugnetur, omnino sustinemus.*
4. *Ss. Canonum statuta custodiantur ab OMNIBUS.*
5. *Lex 2. c. de div. rescript. à Jure Canonico non est correctâ.*
6. *Rescripta ad hæredes non transeunt, nisi decessor, dum viveret, per ea sit in Jus vocatus. c. 36. de rescript.*
7. *Mendax precator penitus carere debet impetratis. C. 20. eod.*



8. *Locorum specialium consuetudines Romanus Pontifex potest probabiliter ignorare.* c. 1. de constit. in 6.
9. *Unde, si rationabiles fuerint, per constitutionem à se noviter editam non intelligitur in aliquo derogare.* Ibid.
10. *Consuetudo in c. 9. de sim. reprobata, vapulat quoque à Bulla CLEM. XIV. ad Epp. Sardin. a. 1769. emanata.*
11. *Tantò enim graviora sunt crimina, quanto diutiùs animam tenuerunt alligatam.* Ibid.
12. *Illegitimus ad Ecclesiam V. vocatus maluit suum confiteri reatum, quàm lesà conscientiam abzonum conscendere pastoralen.* c. 20. de elect.
13. *Præposito H. in Præsulem S. electo, etsi nondum electioni de se facta consenserit, consentire tamen volente, confirmanda est ejus electio.* c. 21. eod.
14. *Is, qui de numero septem à tribus eorum dignoscitur nominatus, juxta compromissi tenorem, debet in Decanum a^{ff}uni, dummodo electioni de se factæ consentiat, & aliquod canonicum (impedimentum) non obsistat.* c. 33. de elect.
15. *Inde tamen nulla est antinomia inter cap. cit. & c. 50. h. t.*
16. *Electio cum postulatione concurrere vincit, si numerus postulantium non fuerit duplo major.* Arg. c. 40. de elect.
17. *An ex gratia vel de jure? problema sit.*
18. *Extrav. I. de elect. inter Comm. non sustulit quoad remotos privilegium c. 44. de elect.*
19. *Suppositivus can. 34. VII. q. I. parùm appositè adduxit exemplum S. PETRI, ut ostenderet, Translationes Episcoporum fieri non posse proprià cujusdam voluntate.*
20. *Ei, cui Papa dedit indultum transeundi à minore Ecclesia ad majorem, Papa censetur dedisse clavim, ut claustrum VINCULI IPSEMET aperire atque abire possit.*
21. *Si translationis verbalis vel bullavis conscius pergeret administrare Ecclesiam à quâ, usque ad possessionem secundæ ecclesie acceptam, pro norma respiciendum foret c. 28. de præb. in 6.*
22. *Translatio de unâ ecclesiâ Episcopali ad aliam hodie est reservatum Papæ USUALE, non obstant c. 2. de Translat. can. 107. de consec. D. 4. c. 41. VII. q. I.*
23. *SUMMAM in CURIA pro obtentione Pallii præstandam, à simonia vindicabimus.*



24. *Pridem invaluit sententia certa, quod solus Papa admittat resignationes in favorem.*
25. *Quæ verò causa hujus USUALIS RESERVATI soli Papæ? R. anomala hujus resignationis indoles.*
26. *Divisio resignationis in puram & non puram institutioni Canonicae non debetur.*
27. *Quomodo supplenda negligentia Prælatorum in conferendis beneficiis regulam dat c. 2. de præb.*
28. *Irregularitas bigamiæ similitudinariæ fabula est.*
29. *C. 10. de off. Archid. de solis monasteriis non procedit.*
30. *Chor-Episcopi Origine suâ non sunt confundendi cum Archi-Diaconis.*
31. *Ecclesia annullare potest ordinationes Episcopi hæretici, schismatici, &c.*
32. *Delegata Jurisdictio prorogari non potest de causa ad causam.*
33. *Divisio Belli in off- & defensivum non est Canonica.*
34. *Minor restitui in integrum non potest contra resignationem sui beneficii.*
35. *Vix defendi potest privilegium fori Clericalis esse Juris Divini quoad totam suam latitudinem.*
36. *Post latam sententiam & rem judicatam multum interest, an in LIBELLO causa remota actionis realis fuerit expressa, nec ne?*
37. *Quid sentiamus de cap. 13. DE JUD. rogati exponemus.*
38. *Conjungi posse in eodem libello ac Judicio causam possessionis & proprietatis dubium non habet de Jure Canonico ex C. cum Ecclesia de caus. possess. & propriet.*
39. *Neque mirus judicium retinendæ possessionis cum judicio petitorio conjugium sustinet.*
40. *Petitorio unâ cum possessorio in judicium ab actore deducto, cognoscitur super utroque.*
41. *Quo casu, si actor vincat in possessorio, succumbat verò in petitorio, in eadem sententia prius actori, deinde reo victoria adjudicatur.*

EX JURE PUBLICO.

I. Potestas Spiritualis, & Superioritas Territorialis in CLEMENTE XIV. summo Pontifice, atque in ECCLESIASTICIS S. R. I. PRINCIPIBUS jure optimo conjuncta refulget. *



* Equidem Protestantibus nonnullis inuisa est hæc positio, qui utramque potestatem istam *Spiritualem & Territoriale[m] temporalem* in eadem persona combinari, ægrè ferunt: sunt quoque, qui eam Episcopis non abnuunt, velut *Buderus Dissert. auspicali de Testam., Epp. Germaniæ & Reinkingerus de Reg. sæc. & Eccles. L. II. Cl. IV. C. IX.* Summo tamen Pontifici nostro invident: *Reink. cit. Cl. II. C. VIII.* Verùm hi plenâ luce in Contradictionem ruunt... Armis, non novis, sed ex fragmentis Protestantium emendicatis desponsatam potestatem istam sæculo hoc invasit *Anonymus* quidam in Libello, Cui titulus: *Rechte des Kayfers und Stände des Reichs über geistliche Personen und Kirchen-Güter &c.* Libellus iste Summo Pontifici nostro potestatem *Territoriale[m] Temporalem* primò contradicit: Potestatem *Episcoporum* ad *Spiritualem* duntaxat reducendam esse, præterdit: contra Religiosos plura injuriosa congerit: Tandem bona Clericorum à Potestate Laica in quemcunque usum vertibilia permittit: quid iudicii ferendum sit de Libello hoc, perspectum habet, quisquis Ecclesiæ Historiam intimiùs perferatur: ex eâ facile sese proder, *horum politicorum hereticorum* (ut utar verbis *Baronii* ad an. 1141. §. 3. & *Gretseri* in *Arnaldo* redivivo T. VI. f. 107.) *Patriarcham & Principem extitisse Sæc. XII. Arnaldum de Braxia; heresiarcha* iste (quem igne interiisse passim notant Historici) testibus *Ottone Frisingensi de Gestis Friderici I. L. 2. C. 21., Fleury ad an. 1139. Du Mesnil T. IV. f. 348. Brietio Anal. f. 643.* dicebat: *Nec Clericos proprietatem, nec Episcopos Regalia, nec Monachos Possessiones habentes aliquâ ratione salvari posse: cuncta hæc Principis Laici esse, ab ejusque beneficentia in usum tantùm Laicorum cedere oportere.* *Baronius* etiam ad ann. cit. §. 3. *Dum Romæ esset, inquit, jactare ista capit, Laicorum esse omnia temporalia & ea à Clericis injustissime detineri.* In sanam hanc Doctrinam secuti postea sunt *Waldenses, Hufstæ, Marsilius Ictus Patavinus, Joannes de Jamduo Perusinus, homines Ludovico Bavaro contra Joannem XXII. mancipati.* Adhæsit iis *Wicleffus*, inter cujus propositiones à Generali Constantiensi Synodo Sess. 8. coram *Sigismundo* Imp. damnatas hæc est 39na: *apud Labbeum Tom. XII. Concil. f. 265.: Imperator & Domini seculares sunt seducti à diabolo, ut Ecclesiam dotarent bonis*

temporalibus. A Wicleffo pestifera lues manavit ad Lutherum, ad Centuriatores Magdeburgenses, Molinæum, Wolffium, Goldastum, Corringium & tandem temporibus nostris in Anonymum: videat hic, quo avo & proavo gloriari possit. Quæ fatalia de hæresi ista politica in Ecclesiam pullularint, Conf. *Authores Sup. cit.* aliòsque Historicos ad vitam *Lucii II. & Eugenii III.* Porro Anonymum istum penitus elinguem facit *Dissertatio Inauguralis BARTHELII T. I. Op. IV.* quem desuper omnino consule.

II. Episcoporum Jurisdictione immediatè à Deo est*.

* Magnorum hæc quæstio motuum in Conc. Trid. Causa fuit: teste enim *Pallavicino Hist. Conc. Trid. Lib. XVIII. Cap. 14. & 15.* pro parte adfirmante strenuè decertarunt Hispaniæ & Galliæ Præsules universi, pro inficiante verò Itali. Illorum causam defendendam suscepit *Petrus Soto* Ord. Præd. horum autem *P. Didacus Lainerz S. J.* Præpos. Gen. uterque in Concilio eodem Theologus utraque sententia varios deinceps nacta patronos est; Italicorum partes magno molimine tuetur *PROSPER FAGNANUS in cap. I. de off. Jud. Ordinarii à §. 47. & incertus AUCTOR Animadv. in Hist. Eccl. Nat. Alex. T. III. Diss. 4.* Hispanorum verò Gallorumque (quibus jam plurimi Canonistæ aliarum nationum accesserunt) *NAT. ALEX. Tom. 3. Diss. 4. ESPEN P. I. J. E. Tit. 16. c. 1. Cl. BARTHELIUS & Cl. P. J. de RIEGGER Viennæ Ss. Can. Prof. P. O. Introd. in Univers. Jus. Eccles. Diss. prævia C. 5. §. 87.* ubi ait: *difficiles adversariorum & contortas, ac pro cuiusque ingenio effectas textuum distinctiones non sapere eruditiori huic seculo.* Salva quippe res esse videtur postquam Trid. Synodus Sess. 22. c. 4. definivit: *Episcopos successisse in locum Apostolorum: qui enim negant Episcopos suam potestatem immediatè accepisse à Deo, magni se ipsos difficultate implicant, ne idem negandum esse de Apostolis fateri cogantur: Episcopis nimirum Apostolorum successoribus dictum à S. Paulo est: attendite vobis & Universo Gregi in quo vos spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Act. 20. v. 28.* quam optimè verò hæc sententia concilietur cum Primatu Pontificis jurisdictionali aliisque prærogativis adeò, ut nullatenus connectatur modernorum Anti-Ponti-

Pontificiorum systemati, concinnè exponit mentionatus sæpe P.
Luidl Diss. v. de Pontifice Cap. I.

III. Forma igitur Regiminis in Ecclesia non est purè Mo-
narchica, sed *Aristocratia mixta*.

C. M. I.

Cum Permissu Superiorum.



hac positio, qui urra-
 torialem temporalem in
 sunt quoque, qui em-
 rt. auspicali de Testam.
 ec. & Eccles. L. II. C.
 invident: Reink. cu
 contradictionem ruunt.
 estantium emendicatis
 invasit Anonymus qu-
 Kayfers und Stän-
 Kirchen-Güter &
 estatem Territorialen
 tem Episcoporum ad
 praxendit: contra
 dem bona Clerico-
 sum vertibilia per-
 , perspectum habet.
 atur: ex ea facile fe-
 ut utar verbis Baroni
 vivo T. VI. f. 107.)
 Arnaldum de Braxia;
 notant Historici) tel-
 . 2. C. 21., Fleury ad
 Anal. f. 643. dicebat:
 galia, nec Monachos
 cuncta hae Principis
 tim Laicorum cedere
 n Roma esset, inquit,
 ea à Clericis in ipsi
 postea sunt Walden-
 nes de Jamduo Pe-
 em XXII. mansipati
 nes à Generali Con-
 mp. damnatas haec est
 265.: Imperator &
 elajum dotarent lens
 tem-

Tiffen Color Control Patches
 © The Tiffen Company, 2007

Inches	Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
		Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black											

Tiffen Gray Scale
 © The Tiffen Company, 2007

A	1	2	3	4	5	6	M	8	9	10	11	12	13	14	15	B	17	18	19
		R	G	B			W	G			K			C	Y	M			